



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniae, 1709**

§.1. Voluptatis usura brevissima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

lescat, tum nemini plus obsit quàm auctori. Est enim viperæ genus, quod ei lucem, à quo accepit, aufert, infelice partu, infeliciore exitu. Rem omnium usu testimoniòque probatam, octo brevissimis argumentis exequor.

S. I. *Voluptatis usura brevissima.*

Aureum imprimis veniat in mentem aurei viri dictum: *Momentum est quod delectat, æternum quod cruciat.* (Chrysologus) Expende *momentum*; expende quid *æternum*. Illud tam breve, ut initio finis cohæreat, utrisque in unum punctum coniectis metis. Talis est voluptas: quam priùs amissam scias quàm admissam. Fulguris instar, simul est in occasu, simul in ortu. Moritur citò, convescitur nunquam. Non sic pœna, non sic; quæ nullius temporis circumscripta spatiis, omnia superat durando, ipsi etiam Deo coæva. O momentum! ô æternum! ô præposteram mortalium optionem! *Æternitati perbreve anteferunt moram.* Sic, sic ille clamabat omnium exemplo unus: (Jonathas. 1. Reg. 14. v. 43.) *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce ego morior.* Expende brevitatem culpæ, celeritatem sententiæ, gravitatem pœnæ. *gustans, inquit, gustavi.*  
quid?

## DE TIMORE DOMINI.

quid? *paululum mellis*, quo exitu? *Et ecce*  
*horior.*

### §. 2. *Voluptatis usura turpissima.*

Quid quòd omnis in luto est voluptas; ut non tam brevitatem, quàm fœditate deterreat? Inter homines desiisse te puta, ex quo ad mulorum equorumve voluptates, tanquam emissarius, adhinnire cœperis. Eò etiam turpior bestiis, quòd illæ sine ratione, tu cum ratione insanias; illæ naturæ impetu, tu arbitrii consensu. O rem pudendam! quam oculis nemo humanis audeat committere, nemo divinis possit subtrahere. O deplorandam! quam nemo emit unquam, nisi sui jacturâ. Vide, vide fugitivum; vide exulem à se ipso parentem dicam, an filium? utrumque. Latet Adamus, fugit Cainus; neuter evadit. ô latibulum! ô fugam! ô criminis audaciam! etiâ mne Deo illudi posse speras infelix, tu vel in secreto publicus?

### §. 3. *eiusdem fastidium & amaritudo.*

Momentum dixeram voluptatis. Erravi. Aceti plus habet & fellis, quàm mellis. Pungit & cum venit, & cum recedit. [Habet omnis hoc voluptas, stimulis agit fruentes, apiumque par volantum, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit iccta corda